

DISSE<sup>R</sup>TATIUNCULA  
*DE*  
**IGNOMINIOSIS**  
VETERUM CHRISTIANO-  
RUM COGNOMINIBUS,

*PLURIMUM VENERANDOS*  
**D<sup>NN.</sup> INSPECTORES,**  
OMNE ISQUE, QVEIS GERA  
FRUITUR, OMNIUM ORDINUM SPE-  
CTATISSIMOS VIROS,  
**M. JOH. FRIDERICUS Röber /**  
ILLUSTR. RUTHENEI RECTOR,  
ad benevolè auscultandum  
NON-NULLAS ORATIUNCULAS  
VITUPERATORIAS,  
*CRAS, DEO VOLENTE, H. L. Q. C.*  
publicè recitandas.  
submisse, per quam officiosè ac humanissimè  
**INVITAT.**

---

GERÆ, Typis MÜLLERIANIS.

**A**ππα τεία κάκηα jampridem est, quod innotuere  
orbī, in primis literato, nisi quod, quænam illa tria  
sint pessima Kappa, non omnium una eademq; fuit  
sententia. Alii igitur Kappodes in hunc censum  
retulerunt, Kretenses ac Kilices; ex quibus illos in-  
genio tam servili & abjecto fuisse Strabo refert, (a)  
ut oblatam sibi à Romanis libertatem, quæ nunquam  
estimari pretio potest, (b) nauci habuerint; de istis verò laudatus à  
Paulo (c) Epimenidis versiculus, quō charactere se commendaverint  
vulgò, testatur:

Kεῆτες ἀεὶ Φεύσαι, κακὰ θνεῖα, γασέρες ἀγγαί.

Hi verò infamiam nominis suo mentiendi libidine inusserunt, ut in di-  
verbium commune res abierit, μὴ παδίως αληθεύειν τὸς κίλικας, haud  
facile verum dicere, aut reapse, quod dixerint, præstare Cilices. Non  
nullis placuit tria illa pessima Kappa applicare ad Cornelium Syllam,  
Cornelium Cinnam & Cornelium Lentulum, (d) non fulcra quidem  
ac ornamenta Reipublicæ Rom. sed flammæ pariter ac labes. Non inu-  
sitatum quoq; vetustioribus fuit διπλᾶν κάππα, duplex Cappa dicere  
de quovis malo homine, quem τὸ πονηρὸν κόρυμα Aristophanes,  
(e) devotum caput Justinus, (f) conseleratissimum Cicero, (g) & Per-  
sius cute perditum (h) vocat. Neq; verò præter rem penitus hoc no-  
mine Cartesianismum & Coccejanismum, Belgio hodiè perquam mo-  
lestos, nobis verò maximè suspectos, celeberrimi nominis ac meritis  
in rem literariam eximus Vir appellavit. (i) Verùm præter ista sive  
tria sive duo Kappa, unicum est, quod palmam præripere reliquis, certè  
ambiguam reddere videtur posse, quippe quod fronti inustum, nemí-  
nem accusare amplius sinebat. Estq; illud K, Kalumniæ nota, (k) quæ  
uti pessimum est scelus, ita nemo tam pius, tam innocens ac bonus est,  
cujus famæ & honori parcet: omnia adoritur nefariè, allatrat nequi-  
ter, lacinat contumeliosè. Vel Christiani veteres quas non perpessi  
sunt quondam calumnias, quæ convitia non tolerarunt, quibus dicti-  
riis non fuerunt expositi? Ut adeò rem nec inutilem nec à scopo no-  
stro alienam arbitremur, si, quibus illi contumeliosis cognominibus  
excepti & notati quondam fuerint à gentilibus, peculiari dissertatione  
exponamus. Id quod si rectè ponimus calculum, commodius fieri  
vix poterit, quam si ordine vulgari, quem literarum latinarum series of-  
fert,

religiosissimi Christiani, quasi qui sine DEO sint & nefariè impii : Nam  
Domitianus crimen illis ἀθεότητος in publicis edictis impingebat.  
Contudit obtusum hoc telum Justinus oratione ad Antoninum Pium  
Apologeticā, & apud eundem Athenagoras. Duro etiam huic nodo  
cuneum opposuit Tertullianus; Arnobius verò per quam operosus est,  
& totus in eō occupatus, ut ostendat, Christianos non esse Atheos, ideo,  
quod verum & omnipotentem Deum cultu religioso prosequantur. (l)  
Valeat ergo solennis illa contra Christianos exclamatio, in amphitheatris  
quondam usitata : Αἰες γε αὐτοῖς, tolle Atheos ! Quam etiam  
pronunciare jubebantur, qui Christianæ religioni repudium mitte-  
bant. Unde in Epistola Smyrnensis Ecclesiæ apud Eusebium Procon-  
sul Polycarpum, ut abneget pietatem Christianam, hâc voce adhorta-  
tur : Οὐασσον τὴν Καισαρεγος Τύχην, μετανόου, εἴπον, αἰες γε αὐτοῖς :  
Jura per Cæsar is fortunam, resipisce, dic, tolle atheos. Quod quidem  
exclamavit fortissimus Martyr, sed sensu planè contrariò. (m) Nam  
DEUM minus verè colebat, quisquis ignominioso hoc cognomine tra-  
ducebat Christianos. Ecquis verò, nisi veri DEI ignarus, Atheos vo-  
cet, qui gentilium Idolorum neglecto cultu, Christum piè venerantur?  
Deinde blasphemii appellabantur, quia abjurata fide, probra in Chri-  
stum & convicia conjicere cogebantur; quod maledicere Christo Plinio  
Secundo erat. (n) Dicebantur quoque βιογένετοι, vel, quod inter  
vivos tanquam mortui versarentur, vel, quod per mortem ad vitæ im-  
mortalitatem se per venturos credebant. Persuaserunt sibi, inquit nefari-  
rius ille ἀθεος, Lucianus, infelices Christiani, se immortalitate fruitu-  
ros, perpetuoque viucturos esse: ideo mortem magno contemnunt animo, ac  
non pauci sua sponte semetipos occidendos offerunt. (o) Verùm si hoc  
Christianis probroducitur, in infortuniò felices sunt, in ignominia  
beati, in morte æternū vivi. Porrò ipsum Christianorum nomen,  
etiam si flagitiis catuerit, (p) invisum fuit & exosum, imò, ut Arno-  
bius (q) ait, execrabile, ad cuius mentionem, tanquam ominis pessimi  
non raro inhorruerint. Quâ de causâ etiam Tertullianus dixit: no-  
men, non crimen in nobis damnatur; & Justinus: (r) Μόνοι μεταμερε-  
δι ὄντες τὸ χριστόν, soli odio exponimur propter nomen Christi. Ethoc  
factum fuisse ab hominibus, Cimmeriis ignorantia tenebris immane  
quantum involutis, mirandum magnoperè non est. Id verò cùm ad-

Christianâ inculcandâ occupatus Matthæus Meade, Londinenfis Ecclesiastes scribit: (s) Die Italiâner verachten diesen Nahmen als einen schmählichen Nahmen unter ihnen / und missbrauchen das Wort ein Christ gar oft einen Narren mit anzudeuten. Quod si ita est,

Dii te summoveant, ô nostri infamia secli,  
Orbe suo, tellusq; Tibi pontusq; negetur!

Nescio an hoc referri debeat, quod ἄχενσοι hostes Christi vocali primâ immutatâ Chrestianos dixerunt, qui rectius Christianorum nomine gaudent. Rectè utrumq; admisit Patrum Latinorum antiquissimus Tertullianus, quando ita: (t) Christianus, quantum interpretatione est, de unctione deducitur. Sed & cùm perperam Chrestianus pronunciatur à vobis, (nam nec nominis est notitia penes vos) de suavitate & benignitate compositum est. Oditur itaq; in hominibus innocuis etiam nomen innocuum. Quare non erat, cur risu id nominis exceperint ridiculi deastrorum basiatores. (u) Præterea per convitum dicti quoq; sunt creduli nimium; quô nomine veniunt apud Minucium Cæcilio; & Celsus ille pessimus apud Originem (x) Christianis objicit, quod assentiantur temerè, & sine ratione sint creduli, (ἀλόγως πίστευοντες) quodque rationem fidei nec reddere velint, nec recipere, sed in ore subinde habeant suum illud: μὴ έξέταζε, ἀλλὰ πίστευον, ne inquire, sed crede. Sed rectè Nazianzenus, Juliano, Christianis suum πίστευον exprobranti, regerit & ad mentem revocat Pythagoræorum αὐτὸς ἘΦα. Cui consentit Afer, (y) dicens: Vos Platon, vos Cronio, vos Numenio, vel cui libuerit, creditis, nos credimus & acquiescimus Christo. Iniquitas hæc quanta est, ut, cùm utriq; auctoribus stenus, sitq; nobis & vobis unum & socium, credere, vobis velitis dari, quod ita ab illis dicatur, accipere vos ea, quæ proferuntur à Christo, audire & spectare nolitis? Sub Diocletiano & Maximiano nostros per contemptum crucicolas fuisse appellatos, Aldhelmus, non planè futilis autor, tradit. (z) Et postea ὁ θρησκάτος Julianus crucis cultum Christianis opponebat: crucis, lignum inquiens, adoratis, imagines illius in fronte & ante domus pingentes. (aa) Verum rectè suo Cæcilio respondit, per justam recriminationem, Octavius apud Felicem: (bb) cruces nec colimus, nec optamus. Vos planè, qui ligneos Deos consecratis, cruces lignreas, ut deorum vestrorum partes, forsitan adoratis. Quid h̄ic in Elmendorfio, Pontificis aseclâ, desideret

nimum, afferre in medium ; (cc) quare ad alia cavillorum, Christianis  
objectorum, meritò transimus. Igitur & desidiæ dediti Paulo J Cto di-  
cti sunt, (dd) & desperati aliis, (ee) & dementes (ff) atque insani. Sed  
nescio, qui desidiæ postulari jure possint, qui, ne aliis molesti es-  
sent, aut ipsi diligenter opus faciebant, aut, unde viverent, in commune  
conferebant; nisi forte vitio illis datum, quod sacris sæpenumero va-  
carent; quod sanè laudabilius erat, quam tot gentilium festa celebrare,  
& tempus malè ac desidiosè, cum jacturâ salutis, perdete, quod illi  
Hypsæa cœtiores faciebant. Quid verò desperatos dicitis, ô miseri,  
quos summâ in Deum fiduciâ nixos, ut Prudentii verbis utar,

— nec catene, dira mors nec terruit,  
Unicum Deum fateri sangvinis dispendio?

Et quid dementiæ postulatis aut insaniz, quorum constantia, si Hora-  
tianum illud licet applicare,

Duris ut ilex tonsa bipennibus  
Nigræ feraci frondis in Algido  
Per damna, per cedes, ab ipso  
Duxit opes animumq; ferro? (gg)

Etenim, ut Origines, Tertullianus & Laetantius, optimi Patres, no-  
tant, (hh) Christiani desperati & stulti fuerant vocati, quod, cum quie-  
te vivere, & liberè sine noxâ abire, negato Christo suo, potuissent, tor-  
queri miserè & crudeli morte voluerint multari. Quasi verò quicquam  
desperatus esse possit, quam torquere, ac dilaniare, quem scias innocen-  
tem: rectissimè lacteus Ecclesiar Doctor & Christianorum Cicero di-  
cit. Constantia fuit invicta & firmitudo animi, quam nulla contumec-  
lia, nulla vis, nullum periculum, nullus mortis metus poterat expugna-  
re. Hoc robore Christianos non insania præceps, aut dementia incon-  
sulta, sed DEI gratia & Spiritus sanctissimi solatum iustriebat & ob-  
armabat. Ut adeò in rabiem efferatus videatur, qui culpam dementiæ  
conferre in nostros non erubuerit. Sed scommatum nondum finis  
est: per contumeliam quoque extorres dicebantur. Velenim, quod  
eruditè observavit Gabr. Albaspinæus Aurelianensis Episcopus, (ii) ob  
religionem in exilium ejiciebantur, vel secedebant sponte fugâ elapsu-  
ri, qui in tormentis se animum invictum & propositi tenacem retinere

tæpe, tamen & laudatum quandoq; fuit. *S*tilium quippe est, *j*udicio  
*a*ccusatum, cùm fugere possis, locum, unde effugere non possis, adire: quod  
Alcibiades callidissimus, cùm è Sicilia Athenas vocaretur ad dicen-  
dam pro se causam, respondebat. (k k) Et quām iniquē exilium ex-  
probrant, qui, ut sine pignore, sine lare, terrarum orbis exules essent  
Christiani, sua crudelitate effecerunt? Sed & factiosos eosdem & fera-  
les nuncupatos fuisse legimus. Nullæ tām infestæ hominibus bestiæ, ut  
sunt sibi ferales pleriq; Christianorum, ait Ammianus Marcellinus. (ll)  
Loquitur de dissidiis Christianorum inter se invicem, præcipue antistiti-  
tum, quæ uti toto detestamur animo; ita concedere Marcellino non  
possumus, criminanti, plus quām belluinam inter illos vel locum ha-  
buisse, vel habere discordiam. Cavillum est ethnici hominis, qui no-  
stros accusaturus probri, ipsum se & suos penitus intueri debuisset.  
Nam & sui generis populos variis discordiarum casibus agitatos nun-  
quam non fuisse, ignorare non poterat. Quod verò factiones Chri-  
stianis priscioribus tribuerunt, (mm) in eo vanitatem orationis viden-  
tur adhibuisse. Ecquî enim *d*eploratæ, *i*llicitæ ac *d*esperatæ factionis  
*s*int homines, qui in conventiculis suis, expansis manibus, nudo capite,  
Imperatoribus, quamquam à fide abhorrentibus, precabantur seriò ac  
piè vitam prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes,  
senatum fidelem, populum probum, orbem quietum; quacunq; hominis &  
Cæsaris vota? Quibus sanè factionis crimen & suspicionem à Chri-  
stianis sufficienter depulisse censendus est fortissimus Christi athleta  
Tertullianus. (nn) Sed græssabatur in Deos illa factio, regerit cœcus il-  
le apud Minutum Cæcilius. Itane verò, mi Natalis, à facione, quam  
vocas, Christianorum timendum fuit deastris tuis? Cur non, ne talia  
paterentur, exscindebant, pessum dabant, pessimis evertebant modis  
gentem Christianam? Videlicet, quod Arnobius falsè ait; (oo) huma-  
na patrocinia dii querunt, & nisi hominum fuerint assertione protecti, ido-  
nei non sunt ipsi, qui propulsare, defendere suas valeant contumelias. O  
miseros ac vanos deos! Ad ea, quæ diximus, ignominiosa optimo-  
rum Christicolarum cognomina, etiam accedit, quod genus inter homi-  
nes tertium, item Galilæi fuerunt nuncupati. In hoc posteriori co-  
gnomento peculiares quæsivit delitias Julianus Apostata; ideoque ple-  
rumque nostros sectam Galileorum & Galilæi filios appellavit. (pp)

Quin

Quin imò infensissimus Christiani nominis ille hostis lege sanxit publicā, ut ne Christiani amplius, sed Galilæi dicerentur; cuius rei luculentum habemus testimoniū Græcorum Patrum μεγαλοφωνότατον Gregorium, Nazianz. Episcopum. (99) Id factum dicit aureo planè ore Jo. Chrysostomus, (rr) ut ornamento sanctissimi nominis nos spoliaret. Si enim Christianorum nomen abominandum esset arbitratuſ, & rem multæ plenam ignominia, non substituiffet aliud nomen & peregrinum quidem, cuius ignominia nos potuisse notari putâſlet. Ex quo perspicue ostendit ( sunt verba laudati Gregorii ) μέγιστον εἰς δόξαν καὶ τιμιότατον, honorificentissimam esse Christi (& Christianorum) appellationem & maximi ad gloriam ponderis, quoniam eam nobis extorquere cogitavit. Nisi forte hoc ea ratione fecit, quod hujusce nominis vim & potestatem instar Dæmonum reformidaret, ac proinde ad alterum nomen minus notum & vulgare transiret. Verūm enim verò, cur genus quoddam tertium vocati sint optimi Christiani, quos voce quamvis dithyrambicā, memorabili tamen nonnemo dicit κοσμοδερκοντιδαομαρτυροσημαχώντας, (ts) nondum fuit dictum, qua de causa silentio prætereundum non est. Planè tertium genus dicimur, ait (tt) sæpè laudatus Florens, Cynopenna aliqui, vel Sciapodes vel aliqua de subterranea Antipodes. Id verò de superstitione ( dicit idem I.c. de ritu alibi (uu) ) non de natione explicat; vel, ut Eusebius (xx) loquitur, medium genus dicimur non ratione appellationis, ut quæ satis obvia cunctis, sed ratione sectæ modiq; vivendi. Eo nimirum sensu, quod neq; gentiles, neq; Judæi Christiani essent: ceu rem exponit Joh. Gothofredi, vir eruditissimus notis ad Tertullianum. (yy) Ethic sancè hoc scisma accurate his eludit verbis: *recogitate, ne quos tertium genus dicitis, principem locum obtineant, siquidem nonnulla gens non Christiana: itaq; quæcunque gens prima nihilominus Christiana: ridicula dementia novissimos dicitis & tertios nominatis.* Porrò sitam monstroſi qui tertii loci, quales habendi, qui primò & secundò antecedunt? Neque verò pudet magnopere, Christo deditos secerni atque distingui cum à Judæis tūm ethnicis. Non enim ignominia inde ad nos, sed maxima potius gloria redundat, & si salutis nostræ daduchum presso pede insequimur, constanti in eum fide connixi, idem nos segregatos à reprobis, beatorum æternæ conversationi ac societati inseret. Plura nunc non licet propter cancellos, intra quos continere nos solemus: itaque, quæ restant, in aliud tempus,

pus aliumque locum reje&ta sunto. Nunc ergo de peroraturis, opti-  
mis Adolescentibus, dicamus, reliquum est. Cras itaque, D E O  
feliciter annuente, I. PAULUS Mittelhäuser / Lippesdorffio Thurin-  
gus, malorum angelorum, II. DANIEL Ohet / Eisenberga-Oster-  
landus, Catilinæ, III. CHRISTIANUS Lorenz / Schneberga-Mis-  
nicus, serpentis, IV. MARTINUS Gottlieb Hammer / Lichtenstei-  
nio-Misnicus, cicutæ, V. JOHANNES Fischer / Geranus Lybiæ vitu-  
perationem brevem instituerunt. Qui ut benevolè & frequenter cùm à  
PLURIMUM VENERANDIS DNN. INSPECTORIBUS, tūm &  
RELIQVIS-INTER GERANOS ERUDITISSIMIS VIRIS audian-  
tur; id verò est, quod enixè, &, quâ par est, humanitate rogitamus,  
polliciti, nihil non sedulò nos facturos, quod tantæ tamq; insigni be-  
nevolentiaz respondere quadantenus queat. P.P. Geræ, d. IX. Eid.  
Decembr. A. O. R. **∞** Ioc LXXXI.

---

### NOTULARUM EVOLUTIO.

(a) l. XII. (b) l. I. Instit. tit. §. 6. quib. ex caus. man. non. lic. (c) ad  
Tir. I, 12, v. Rittershus. lect. sacr. III, 4. (d) vid. Lex. Fabri ex ed. Buchn. f.  
440. (e) in Pluton. (f) l. XIV, c. 4. (g) orat. pro S. Rosc. Am. (h) Sat. I.  
(i) nempe excell. Dn. D. Val. Alberti disp. pec. an. 1678. (k) vid. Foss. de  
art. Gramm. l. i. c. XVII. (l) vid. Dn. D. Zimmermannus de illo Tertullia-  
ni: Fiunt, non nascuntur Christiani; sect. II. pag. 72. (m) vid. Desid.  
Herald. animadvers. ad Arnob. lib. I. pag. 31. (n) Epist. ad Trajan. Im-  
perat. (o) in Peregrin. fol. 388. (p) Plin. dicta Epist. (q) lib. I. advers.  
gentes pag. 33. (r) in Apolog. pag. 144. Vid. Hotting. Historiar. Ecclesiast.  
part. I. pag. 57. (s) in libell. cui Titulus: der beh=nahe Christ / pag. 7. (t)  
Apol. c. 3. addel. I. ad Nation. c. 3. (u) Theoph. Antioch. l. I. ad Autolyc.  
cit. Dn. D. Kortholt. in ep. Plin. p. 24. (x) l. I. cit. eod. de orig. & nar. Christi.  
c. 9. p. 102. (y) l. 2. adv. gent. add. Elmenh. in Arnob. p. 64. (z) de laude  
Virgin. f. 486. cit. Elmenhorst. not. ad Octav. Min. p. 105. (aa) Cyrill. l. 6. con-  
tra Julian. f. 136. cit. eod. (bb) p. 284. ed. Jac. Ouzelii (cc) vid. l. c. p. 286.  
(dd) l. 25. §. I. ff. de probat. (ee) Huet. de demonst. Evang. p. 60. (ff) Ter-  
tull. apolog. adv. gent. f. 57. ed. Jac. Pam. (gg) l. 4. ed. 4. (hh) v. Elmenh.  
ad Minuc. p. m. 71. (ii) Observ. XI. lib. I. p. m. 97. (kk) Elian. var. hist. l.  
XIII, c. 38. (ll) l. XXII. in Juliani hist. (mm) vid. Minuc. Felix in Octav. p.  
m. 70. (nn) Apolog. c. 30. (oo) l. c. lib. I. p. m. 11. (pp) apud Cyrill. l. 2. Theo-  
dorit. l. 3. c. 7. (qq) orat. I. contra Jul. cit. D. Korth. in epist. Plin. 30. (rr) in  
serm. de Babyla. (ss) vid. B. Erasm. Schmidius in Pind. p. 308. (tt) l. I. ad  
Nation. c. 8. (uu) c. 20. (xx) l. I. de prepar. Evang. c. 2. (yy) v. Zimmerm.  
tract. c. p. 90.



estimari pre  
Paulo (c) E  
vulgò, testatu

Kεν

Hi verò infar  
verbium cor  
facile verum  
nullis placui  
Cornelium &  
ac ornamen  
sitatum quo  
de quovis n  
(e) devotum  
sius cute per  
mine Cartes  
lestos, nobis  
in rem liter  
tria sive duo  
ambiguam r  
nem accusar  
uti pessimur  
cujus famæ  
ter, lacinat  
sunt quonda  
riis non fuer  
stro alienar  
excepti & n  
exponamus  
vix poterit,



, quod innotuere  
quænam illa tria  
una eademq; suit  
es in hunc censum  
et quibus illos in  
Strabo refert, (a)  
m, quæ nunquam  
s verò laudatus à  
commendaverint

εγαῖ.

usserunt, ut in di  
τράς κίλικας, haud  
are Cilices. Non  
ornelium Syllam,  
on fulcra quidem  
ac labes. Non inu  
plex Cappa dicere  
προ Aristophanes,  
Cicero, (g) & Per  
in penitus hoc no  
diè perquam mo  
minis ac meritis  
im præter ista sive  
pere reliquis, certè  
i inustum, nem  
niz nota, (k) quæ  
ocens ac bonus est,  
è, allatrat nequi  
quas non perpe  
ant, quibus dicte  
n nec à scopo no  
sis cognominibus  
iliari dissertatione  
commodius fieri  
latinarum series of  
fert,